



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 3. Rerum creatarum, quàm delectabilis cognitio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](#)

striosus Deorum & fabularum nomina nō dederit: cùm monstra illa tunc nondum ex Orco in terras emerserint; neque, si egressissent, eorum vocabulis astra fuisse homo sapientissimus, & adhuc innocentissimus, maculaturus: immò cùm nomina & vocamina rerum omnium, saltem in radicibus suis, à Dèo, cum sermocinandi facultate accepta, vtique contra Dèi honorem, creaturis non esset impositurus.

## §. III.

*Rerum creatarum, quām delectabiliſſimis cognitio?*

Ex hac porrò nominum impositione docetur, quām gnarus fuerit Adamus omnium naturarum, quarum nomenclatura ex cognitione pendet nominantis. Eam autem cognitionem diuinitus inditam, ac postea etiam oculis, atque ceterorum sensuum experientiā confirmatam, quantæ oblectationis cauſam non arbitremur extitisse? Philoni in voluptate fuit terra, quæ irrigata vel fluminum stagnationibus, sicut Aegyptus; vel annuis imbris, exhausta feracitate vires reficit, & quiete modica seruouet, moxq; ut antè, alimenta largiter amantibus suppeditat. Quapropter, opinor,

Philolib.  
An. Mūd.  
fit corruptib.

Poëtis non temerè Pandoram vocari, quasi  
natura dœquemēnū, id est, omnia largientem,  
vel jucunda, vel necessaria; non his aut illis,  
sed omnibus, quæcunque sortita sunt animam.  
Certè si cui daretur adulto verè pinnas alaſ-  
que sumere, & è sublimi campos collēsque in-  
ſpicere: quomodo illi herbas ferant & pabulū,  
hordeum & triticum, aliāsq; species varias; vel  
ſatas agricolarum industria; vel ſua ſponte  
pronenientes: hi vero folia frondēſque, qui-  
bus deneſent arbores, ſimūlque fructuum co-  
piam, quibus non ſolūm arcetur inedia, ſed &  
laſitudini ſuccurritur, (nam olea & fructus me-  
detur defatigatis corporibus; vinum modice  
potum remittit vehementes dolores animi) pre-  
terea ſnaues auras exhalantes è floribus, co-  
rūmque colores ineffabiles arte diuina piætura-  
torum: moxq; deflexis oculis ad arbores inſru-  
giferas, contemplari ſeorsim silueſtres populos,  
cedros, piceas abietes, quercuum robora pro-  
ceriſima, ceterāsq; id genus materies, qua tum  
montes maximos, tum plerosq; pingues agros,  
radicibus eorum ſubiectos opacant: agnoſceret  
indefeffum terra ſemper juuenefcentis vigore.

## §. IV.

Celi aspectus & pulchritudo.

Potuit Adamus è quatuor elementis,

& (2